



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

333. feria 5. de alijs perfectionibus divinis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

594 *Feria 5. Domin. 23. post Pentecost.*  
bræ, & lubricum; horrenda via tenebræ so-  
læ, lubricum solum quis non caveat? in te-  
nebris & lubrico quâ is? Ubi pedem figis?  
Tenebræ sunt ignorantia, lubricum concu-  
piscencia. quòd si accedat Angelus perse-  
quens, væ! Cui Deus non erit Protector.  
Ita S. Augustin. in Psalm. 34.

MEDITATIO. CCCXXXIII.

*Feria 5. Domin. 23. post Pentecost.*

*De alijs perfectionibus divinis.*

**V**idebo Dominum sicut visus fuit in mon-  
te, in caligine inter fulgura & tonitrua,  
& rursum in sibilo auræ tenuis. Petam eum  
amplius agnoscere.

1. *DEUS est Prudentissimus: deliberavit  
de singulis. Non est hominum scire, quid velit,  
& possit, sed potius à Te grassus hominis dirigun-  
tur, ait Augustin. Soliloq. cap. 25. Quia crea-  
turarum natura non prodest, nam obest  
saluti, providentiæ Dei speciali me commit-  
tam unice.*

2. *Deus est Pulcher. Pulchrum esse desinit  
coram pulchriore. Infimus gradus pulchri-  
tudinis est forma externa. Alter est interna,  
pulchrior, continens externam, ut semen  
plantas. 3. Est animalium, vegetativam su-  
perans. 4. Est animæ rationalis. 5. Est Angeli.  
6. Beatorum, qui gradus superat pulchrum  
totius*



*Ferias. Domin. 23. post Pentecost. 595*

totius universi. 7. Est Deus solus pulcher, infinite perfectus, sapientiâ clarus, sanctitate proportionatus. Quod si forma humana tyrannis animorum est, quæ incautos in mentiam rapit, quomodo ad sui amorem non alliciet me pulchritudo infinita? Si placent corpora, in artificem eorum retorque amorem, ne in his, quæ tibi placent, tu displiceas, inquit S. August. lib. 4 Confess. cap. 11. Pulchritudo corporis bonum Dei donum, sed propterea id largitur malis, ne magnum bonum videatur bonis, ait idem 15. Civit. 2.

3. Deus est Purus. Cor purum est vacuum cupiditate, & amore sui, ut nihil aliud diligat, quam, quod diligendum est, ait S. August. lib. 1. de doctr. Christi. Illum osculemur, quem osculari castitas est, ait S. Paul. Epist. 4.

4. Deus est Quies. Ignavia quasi quietem appetit, quæ verè quies coram præter Dominum? Ita S. August. lib. 1. Confess. cap. 6.

5. Deus est Rectus. Non affectu, sed ratione regitur. Quis mihi dec imitari te! Errat quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat, ait S. Augustinus lib. de Agon. cap.

6. Deus est Redemptor. Toto se totum te comparavit! quid ultra debuit facere, & nos fecit? ait Petr. Damian. serm. 1. de exaltat. sanctæ Crucis.

7. DEVS



596 FERIA 5. DOMIN. 23. POST PENTECOST.

7. **DEVS** Revelans profunda Fidei mysteria. Verba DEI sunt reliquiae optimae; amicus enim amicum amicitiae commonens, affectum affert memoriã tenendum, non vestem, aut locum. Ita Dominus S. Gertrudi lib. 3. cap. 54. *Da sagittatus charitate tuã geram verba tua transfixa visceribus.* Ait S. Augustin. supra citatus.

8. **Deus Rex est.** Melius est servire Deo Regi, quàm cupiditati, ut melius est vigilare, quàm dormire. Hãc cognitione conversus est August. lib. 8. Conf. cap. 5. Offeram huic Regi nardum subjectionis affectuosa, ex agnitione mei, & charitate Dei, ait Bern. serm. 52. in Cant.

9. **Deus est Salus nostra per Christum;** sicut et cibum, ita Christus generis humani salutem desiderat, inquit Chryost. hom. 35. in Iosum. Salus principium est esse in gratia, perditionis eã carere.

10. **Deus est Sanctus.** Si per impossibile posset apprehendi, cadere posse in Sanctitatem Dei peccatum aliquod, ipsa ejus Justitia infinita ad infinitam ejus contra se vindictam eum impelleret.

MEDITATIO CCCXXXIV.

FERIA 6. DOMIN. 23. POST PENTECOSTEN.

*De alijs perfectionibus divinis,*

Claudam